Historia Compendiosa Dynastiarum

Authore Gregorio Abul-Pharajio, Historiam compectens universalem, a mundo condito, usque ad Tempora Authoris, res Orientalium accuratissime describens. Arabice edita & latine versa ab Edvardo Pocockio

Barhebraeus; Pococke, Edward

urn:nbn:de:hbz:5:1-8064

Dyn. I.

* *al.* Matidus *Inventio Seriæ, Medicinæ, Comœdiæ, Tragœdiæ.*

* *Mayandrus* Poeseos genus quod Comœdia audit, in qua commemorantur vitia, dicta scurrilia, & actu turpia hominibus cum bestiis communia. Repertum etiam ab alio genus aliud Poeseos, quod Tragœdia dicitur, in quo recensentur virtutes, laudes, & commemorationes benefactorum, hominibus cum Angelis communia. Referunt etiam illi qui hominum classibus indagandis student, fuisse in *Ægypto* post diluvium doctos in variis Philosophiæ generibus; in Mathematicis, Physicâ, Metaphysicâ, & præcipuè in scientia Alchymiæ, Telesmatum, præstigiorum,, & speculorum comburentium. Ac confirmatur hoc dicto Dei in lege de *Mose*, quòd calluerit omnem sapientiam *Ægyptiorum*. Fuit olim sedes tam Regni quàm Scientiæ in *Ægypto* urbs *Memphis:* at post conditam ab *Alexandro Alexandriam*, hominibus eam, ob bonitatem aeris & dulcedinem aquæ, incolere cupientibus, facta est ipsa sedes scientiæ & Sapientiæ in *Ægypto*, donec eâ à *Moslemiis* occupatâ designaret *Amrus Ebnol As* juxta *Nilum* urbem appellatam † *Fustat*, quæ confluentibus ad ipsam habitandam *Arabibus* & *Barbaris* Metropolis *Ægypti* evasit.

Ægyptiorum scientiæ.

Memphis regni & literarum sedes.

p. 34.

Dyn. II.

Dynastia secunda, quæ translata est à Patriarchis ad Judices, Judices nimirum filiorum *Israelis*.

HEbræi eò quod à reliquis gentibus separati fuerint, pro illicito habuerunt philosophiam excolere, continentes se intra sapientiam legum & traditionum Propheticarum; fuerúntque Doctores eorum peritissimi hominum in Prophetarum & primæ creationis historiâ, quam ab illis acceperunt alii: sedes illis erant regiones *Syriæ*, atque in ea fuit Regnum eorum tum prius tum posterius, donec abduxerit ipsos ex ea, postquam reverâ advenisset *Messias* quem illi abnegârunt, *Titus* filius Regis *Vespasiani* Romani; qui Regnum eorum dissipavit, & cœtus dispersit, ut passim divisi sint per regiones, & in earum finibus undequaque dispersi, neque sit ulla orbis habitabilis pars in quâ non reperiantur ex illis aliqui, sive Orientales plagas,

plagas, sive Occidentales, sive Australes, sive Boreales spectes, exceptâ Insulâ *Arabum*, nempe *Hegiaz*, *Najd*, *Tohamah*, & *Yaman*, indè scilicet amovit eos *Omar Ebno'l chetab*. Postquam autem per regiones dispersi cum gentibus commisti sunt, excitati sunt paucorum [quorundam] ex illis animi ad acquirendas scientias speculativas, † & virtutes intellectuales comparandas; assecutique sunt singulares aliqui è [variis] Scientiæ generibus quod voluerunt. Dyn. II. Hebræi *quando primùm scientiis operam dederunt.* p. 35.

Josua filius *Nun*, successor *Mosis*, & qui ab eo mandata accepit. Duxit *Israelitas* annos viginti septem, filiósque populi, qui ex *Ægypto* egressus fuerat, in terram promissionis introduxit sine patribus ipsorum: sicut dixerat Deus *Mosi*; Dic filiis *Israelis*, Heus Populo male, vivo ego in æternum, utique continuè errabitis huc illuc agitati quadraginta annis, donec * pereant ac consumantur in hoc deserto corpora vestra: filii equidem vestri terram promissionis ingressúri sunt, vos verò eam non calcabitis, exceptis *Calebo* filio *Juphunna*, & *Josua* filio *Nun*. Porrò subegit *Josua* septem *Canaanæorum* gentes, occisis eorum Regibus, atque urbes triginta & unam delevit; terrámque, quam cepit, tribubus divisit, jussis ipsis Idolorum templa diruere, néve gentium peregrinarum mulieres ducerent, vel de sacrificiis ipsorum comederent, útque quotannis ad sanctuarium convenirent, quo *Phineas Eleazaris* Sacerdotis filius librum Dei ipsis prælegeret. Illi verò hæc omnia transgressi rebellârunt in Deum. Convocavit ergò illos *Josua* filius *Nun* in agrum quendam, ubi apparuit illis Angelus Dei specie hominis, voce altâ dicens, Audite, ô filii *Israelis*, dictum Domini. Dicit enim, Ego sum Dominus vester, qui liberavi vos †à servitute *Ægyptiorum*, fidique vobis mare, & duxi vos in deserto quadraginta annis, Manna & coturnicibus pascens: fecíque ut vitam duceretis commodam; non inveteravit vobis indumentum, nec squalidum factum est caput, nec sordibus deturpatæ vestes. Quinetiam vos ex igne allocutus demisi librum, & hæreditario possidendam vobis dedi terram, quæ uberrimè fluit lacte & melle. Vos autem rebelles in me facti, pactum meum violâstis, & signa mea oblivioni tradidistis; quare per nomen meum juro, me non deleturum gentes istas coram vobis: quinimò stabiliam eos inter vos, erítque illud vobis causa exitii. Quo audito, sederunt flentes, unde appellatus est ager ille, *Ager fletûs.* Josua *introducit* Israelitas *in terram* Canaan. *al. ex. ejus excindantur. p. 36.

Dyn. II. *fletûs*. Deinde dimisit eos *Joshua* in loca sua, & mortuus est annos natus centum & decem.

Phinehas filius *Eleazaris* filii *Aaronis* Sacerdos. Duxit populum annos viginti quatuor ex sententiâ *Aniani*. Ait *Aphrikanus* Seniores gubernâsse triginta annos, Scriptura autem Sacra haud præcisè designat hos annos. Hoc tempore cùm modum transgressi essent *Israelitæ* rebellione suâ, dixit Angelus Domini *Phineæso*, Indignus est hic populus, qui audiat verbum Dei; conflatâ ergò urnâ æneâ, quinque libros Legis, binas Tabulas, baculum *Mosis*, virgam *Aaronis* quæ folia produxit postquam exaruerat, & quod † de Manna servatum est in memoriam, in eâ reponas, plumbóque obstruas. Cúmque feciſſet *Phinehas* quemadmodum ei mandatum est, urnam ferenti præivit Angelus, eúmque in speluncam (quæ est) in domo Dei, quam extruxit *Salomon* filius *Davidis*, deduxit; ubi aperiente se illi petra, in ea urnam deposuit, locúmque ejus celavit.

Liber Legis, binæ tabulæ, &c. in urna absconditæ.

P. 37.

Cushan Rishathaim. *Cushan alathim* tyrannus. Postquam transgressi essent filii *Israel*, supra modum rebelles facti, tradidit ipsos Deus in manus *Cushani* Tyranni allophyli, qui eos pœnis affectos octo annos oppressit.

Othniel. Cùm affligeret *Cushan* filios *Israel*, opem à Deo petierunt, qui excitavit illis virum è tribu *Jehudæ* nomine *Othnielem* filium fratris *Calebi* filii *Jephunnæ*, qui occiso *Cushano* res populi administravit quadraginta annis, eósque ad cultum Dei Altissimi reduxit, deinde mortuus est.

Eglon. Post mortem *Othnielis* filii *Kenazi* transgressi filii *Israelis* Idola coluerunt, tradiditque eos Deus in manum *Eglonis* Regis *Moab*, qui ipsos in servitute octodecim annis detinuit. Dein cùm obnixè Deum rogâssent, excitavit illis virum è tribu *Ephraim*, nomine *Ahur* [*Ehud*,] qui interfecto *Eglone Moabitâ* ipsos è servitute ejus vindicavit.

Ehud filius *Geræ*. Manus ipsi arida fuit: aruerat siquidem dextra ejus. Hic arte usus quò *Egloni Tyranno* sisteretur, † à Deo (inquit) mihi verbum est, quod secretum haberi vellem. Cúmq; *Eglon*, amotis qui ipsi aderant omnibus, surgens ingressus esset Gazophylacium quoddam, quò ibi illud audiret, prehendens *Ehud* manu sinistrâ gladiolum, quem femori dextro accinxerat, illum *Egloni*

p. 38.

medio

medio infixit, adeò ut exiret omentum ventris ejus, & moreretur: egressus autem *Ehud*, occlusis in ipsum foribus, ad *Israelitas* profectus est, notúmque ipsis fecit quid factum esset; unde gaudio affecti sunt. Ac præfuit ipsis *Ehud* annis sexaginta duobus; sunt qui dicunt octoginta, annumerantes illis annos etiam *Eglonis* Tyranni. Circiter hoc tempus condita est urbs *Haleb*, jussu *Bethusi* regis *Assyriæ*; extructum etiam prætorium, Areopagus [dictum,] in urbe *Athenis*. Porrò occîdit *Ehud* è filiis *Moab* decies mille viros. Dyn. II. Haleb condita. Arcopagus.

Shamgar filius *Anath*. Natus est iste diebus *Ehudi: Philistæorum* *sexaginta stimulo bovis occidit; octodecim annis Judicii munere functus obiit. Transgressi autem filii *Israelis* post obitum ejus Idola coluerunt, tradiditque eos Deus in manus *Iabin* regis *Hasoræ*, qui è numero Regum *Cananæorum* fuit. *al. sexcentos.

Iabin Rex *Hasoræ*. Dominium usurpavit in populum viginti annis; erántque Duci exercitus ejus (cui nomen *Sisera*) *nonaginta currus ferrati, quorum singulos trahebant quatuor equi militibus onustos. Fuítque populus præ eo in angustiâ magnâ; opem igitur à Deo petierunt, ille autem excitavit eis mulierem Prophetissam, nomine *Deboram*, quæ eos ab ipso liberavit. * al. nongenti.

Debora Prophetissa & *Barak*. Cùm præfecta esset *Debora* Prophetissa, quæ è tribu *Ephraim* fuit, rebus *Israelitarum*, consortem sibi accepit in regimine virum nomine *Barak*, è tribu *Naphtali:* unáque imperium administrârunt quadraginta annis. *Barak* autem exercitu è filiis *Israel* decem mille virorum † bellacium conscripto, pugnam iniit cum exercitu *Siseræ* universo. Cúmque fusi essent *Cananæi*, *Sisera* descendens equo suo ad mulierem quandam è filiis *Israelis* nomine *Jael* se recepit, quæ cognitum domo suâ excipiens vice aquæ, quam petiit, lacte potavit, texítque quò dormiret; at cùm graviter dormiret, paxillum ferreum prehendens ipsum auri ejus infixit: deinde ad ostium domûs suæ prodiens conspectu *Baraki*, qui in quærendo *Sisera* occupatus fuit, Adesdum (inquit) quò ostendam tibi quem velles. Ingressus igitur *Siseram* prostratum vidit mortuum, clavo auri infixo. Porrò non destitit *Barak Jabinum* Regem *Hasoræ* perquirere, donec in potestatem redactum occidisset. † P. 39. Jael *interimit* Siseram.

Midianitæ. Post mortem *Deboræ* & *Barak* ad Idololatriam more suo prolapsi *Israelitæ*, traditi sunt in manus *Midianitarum*, qui se-

Dyn. II. ptem annis in servitute ipsos detinuerunt. Fugientes autem *Israelitæ* præ duris quæ passi sunt à *Midianitis*, domos sibi in speluncis & ca-
p. 40. vernis facientes † in ipsis habitârunt: factúmque est, ut quandocúnque semen terræ mandarent, ascendentes *Amalekitæ* & *Midianitæ*, illud depascerent & corroderent, ac faciem terræ omni penitus herbâ præ multitudine camelorum, pecorum, & ovium suarum, nudarent.

Gedeon. Cùm videret Deus abjectam *Israelitarum* conditionem, misertus ipsorum, misso Angelo ad virum nomine *Gedeon* filium *Joasb*, jussit ipsum liberandis *Israelitis* operam dare. Hic [rebus] eorum administrandis quadraginta annis præfectus, Reges *Arabum* qui illos Tyrannide oppressérunt, occîdit. Nati sunt ipsi septuaginta
*vel, Nigrorum. filii masculi. Tempore ipsius fuit *Abulun* Rex *Zingitarum*, cujus cantu factum est ut submitterent se illi saxa, i. e. obsequerentur corda [hominum] dura.

Abimelech filius *Gedeonis*, quem peperit illi concubina sua: Præfuit post patrem suum tribus annis, & fratres suos sexaginta novem interfecit.

Tola filius *Puæ*, è tribu *Issachar*. Rexit filios *Israel* viginti annis.
Tarsus. Ejus tempore condita est urbs *Tarsus*, & diruta est urbs *Ilium*, excidio illo, quod è maximis apud *Græcos* antiquos infortuniis erat.
Homerus Syriacè versus. Illud cecinit *Homerus* Poeta duobus libris, quos è linguâ *Græcâ* in *Syriacam* transtulit *Theophilus* Astronomus *Rohensis*.

Tayir Gileadita. Præfectus est regendis *Israelitis* viginti duobus annis.

Ammonitæ. Cùm transgressi essent filii *Israel* in cultu Idolorum, tradidit illos Deus in manus filiorum *Ammon*, præ quibus afflictam duxit vitam populus octodecim annis.

Script. est in utroq; ex. Nephta. *Jephta.* Iste interfecit regem filiorum *Ammon*, qui sunt filii *Lot*. Voto autem se obstrinxerat, si superatis hostibus victor rediret, primum, qui è sibi propinquis appareret, se Deo Altissimo in munus oblaturum. Cùm igitur victoriam consequutus rediret, ædi-
Jephtæ filia. bus suis appropinquanti obviam prodiit filia ipsius virgo, victoriam illi gratulatura. Cui ille, Prostratum me in faciem dedisti, filia mea, & ego prostratus sum in faciem tui causâ. Illa autem, cognito quid rei esset, spatium petiit mensis, quò virginitatem suam cum

cum coætaneis suis defleret, ac * seipsam deploraret per deserta circumcursans: quod illi concessit, exactóque spatio ipsam in sacrificium, secundùm votum suum illicitum, obtulit. Fuit autem spatium præfecturæ ejus sex annorum: qui illud viginti quatuor annorum fuisse statuunt, octodecim illos annos, quibus præfuerunt *Ammonitæ*, adnumerant. Dyn. II.

* *ad verb.* spiritum suum.

* *Abisan*, è *Bethlemitis*. Judicavit septem annis, multi autem è Chronologis nullam nominis hujus mentionem fecerunt.

* *alt. ex. superscribitur* Abisan, *qui est* Nabshan. *forsan legendum.* ابصان Ibsan.

Elon, è tribu *Zebulon*. Rexit populum decem annis: hic autem in versione τῶν *Septuaginta* non recensetur.

Abdon, filius * *Hillianis*. [Illi fuerunt quadraginta filii, & triginta nepotes, qui septuaginta asinos equitârunt, *Hillian* idem est qui *Ecron*.] Iudicavit octo annis; & ejus tempore † quidam è posteris *Esau*, filii *Isaac*, filii *Abraham*, à filiis *Israelis* secedentes profecti sunt in terram *Francorum*, ubi in tentoriis pilis confectis degerunt: deinde Regis, cui nomen *Latinus*, potestati subjecti sunt; ac post ipsum regnavit in eos *Romulus* Rex, qui condidit urbem *Romam*, cujus incolæ appellantur *Romani* & *Latini*.

* *Potius* Hillelis. *Desunt quæ sequ. in opt. ex.*

† p. 42. Edomæi *quando in* Italiam *venisse dicuntur.*

Philistæi. Deinde prævaluerunt *Philistæi Israelitis*, secundùm sententiam *Aniani* Monachi *Alexandrini*, quadraginta annis: at ex sententia *Andronici* viginti. *Eusebius* verò nihil de his annis in Chronico statuit.

Samson fortis *Naziræus*. Judicavit viginti annis, & subegit *Philistæos*: viribus in rebus prehendendis miris fuit.

Seniores Populi. Judicârunt viginti annis: juxta autem sententiam *Andronici* decem annis, & juxta sententiam *Africani* quadraginta annis. Pacem illi coluerunt cum gentibus, quæ circa eos erant, nec constituerunt sibi ducem exercitus; neque enim opus ipsis eo fuit.

Eli sacerdos. Judicavit secundùm sententiam *Septuaginta* viginti annis, & juxta sententiam *Judæorum* quadraginta.

Samuel Propheta. Consecravit eum Deo pater ipsius ex voto, cùm annos duos natus esset. Cúmque adolevisset, pervenit ad eum visio. Ministravit autem *Eli* Sacerdoti in templo Domini, ab annis infantiæ ad mortem usque *Eli*, & præfuit rebus *Israelitarum* viginti annis.